







Q. D. B. V.

DISSERTATIO

INAUGURALIS MEDICO - CHIRURGICA

SISTENS

OBSERVATIONES

NONNULLAS

CUM EARUM EPICRISI

QUAM

SUMMI NUMINIS AUSPICIO

CONSENSU MEDICÆ FACULTATIS

IN UNIVERSITATE PATRIA

PRO LICENTIA

GRADUM MEDICINÆ DOCTORIS

RITE OBTINENDI

DIE IX. MARTII ANNO MDCCLXXXIV.

SOLEMNI ERUDITORUM EXAMINI SUBMITTIT

PHILIPPUS FRIDERICUS PFÄHLER

ARGENTORATENSIS,

LEGIONIS BADENSIS IN RE PUBLICA FOEDERATI BELGII

CHIRURGUS PRIMARIUS.

H. L. Q. C.

---

ARGENTORATI, ex Officina Heitziana.






D. D. N. 1771  
D I S S E R T A T I O  
I N S T R U M E N T A M E D I C I N E C H I R U R G I C A E  
S Y S T E M A T I C A  
O P E R A T I O N E S  
N O N I N V A S I V A S  
G U M F A R I N U M E P I C R I S I  
Q U A M  
S U M M I N U M I N I S A U S P I C I O  
C O N S E N S U M E D I C I N E P A R T I S  
I N U N I V E R S I T A T E P A T R I A E  
P R O F I C I E N T I A  
G R A D U M M E D I C I N E D O C T O R I S  
R I T E O B T I N E N D I  
D I E X X M A R T I I A N O M D C C L X X V I  
S O L E M N I E N D I T O R U M E X A M I N I S P R O M I S S I T  
P H I L I P P U S T R I D E N S I S T I A B I E R  
A G E N T I A  
L E G I O N I S B A D E N S I S I N R E P U B L I C A R O M A N O R U M  
C H I R U R G U S P R I M A R I U S  
H. L. C. G.  
A G E N T I A T I O N I S P R O F I C I E N T I A







SERENISSIMO PRINCIPI  
WILHELMO LUDOVICO  
MARCHIONI DE BAADEN ET HACHBERG  
COMITI PROVINCIALI DE SAUSENBERG  
COMITI DE SPONHEIM ET EBERSTEIN  
DOMINO DE ROTELN BAADENWEILER LAHRE ET MALBERG &c.

PRAETORIO COPIARUM PEDESTRIUM  
REIPUBLICAE BELGII FOEDERATI  
GUBERNATORI ARNHEMIAE  
ET  
AD ILLAM PERTINENTIUM ARCUM  
LEGIONIS PEDESTRIS PRIMARIO PRAEFECTO  
ORDINIS FIDELITATIS EQUITI NATO  
RELIQUA RELIQUA  
PRINCIPI AC DOMINO SUO CLEMENTISSIMO

HASCE STUDIORUM PRIMITIAS  
EX DEVOTISSIMA ANIMI SUBMISSIONE  
D D D


SERENISSIMIQUE PRINCIPIS  
GRATIAE ET BENEVOLENTIAE  
SESE COMMENDAT.

OBEDIENTISSIMUS CLIENS  
PHILIPPUS FRIDERICUS PFAEHLER.

Weia. sc.











### INTR OITUS.

**E**xhibeo tibi B. L. Speciminis Academici loco  
Observationes quasdam Medico-Chirurgico-Practicas, non novas neque inauditas, verissimas tamen, & uti reor, non admodum frequentes. Elaboravi illas, prouti vires permiserunt. Varia corrigenda, varia addenda, alia iterum omittenda esse, facile largior. Itaque B. L. ut emendanda emendare, & hocce meum qualecunque specimen æquo animo fuscipere velis, etiam atque etiam rogo.

---

### OBSERVATIO.

Victor annos 28 natus per nonnullum retro tempus magnis doloribus excruciatum meum tandem quæsit auxilium. Ægroti conclave ingressus sequentia observavi symptomata; miser lecto tene-

A



batur fere emaciatus, genis ruberrimis; sudore per totam faciem collumque perfusus; pulsus tenuis erat ac valde febrilis, urina cruda & appetitus prostratus. Stragulis linteisque ablatis in conspectum venit applanatus magis, quam convexus magnitudine caput neonati æquans tumor durus ac ruberrimus, qui suam originem ab apophysi xiphoidea ducebat, seque supra costarum spuriarum corpora extendebat. Successive augmentum ille cepit & pro ratione incrementi dolores quoque crescebant, semper durus ac renitens totus quantus. Emollientia applicui cataplasmata, sed sinistro cum eventu; intermissis enim aliquot diebus tumor colorem induit sublividum, hinc cum antisepticis statim fomentationibus commutavi emollientia. Octiduo præterlapso dolores miserum excruciare cessarunt, tumore repente mollitiem induente; eodem hoc tempore in ejusdem medio foraminulum sese conspiciendum præbebat, simul & æger diarrhœa corripiebatur colliquativa, ut vigesies & ultra alvum deposuerit purulentam. Huic sponte facto foraminulo stylus immissus perscrutatorius superius ac inferius æque ac lateraliter tumoris cavitatem perdidit, quæque materia purulenta referata erat, quæ illo extracto profuluit. Statim itaque



fulcatum introduxi styllum, &, quantum necesse fuit, iutegumenta difsecui; ita cum adiposis cellulis mixte materiae purulentæ fanioſæ exitum conciliaui; quæ ad quatuor uſque libras effluxit; quo factò ob vires ægrotantis debiles, huncce fontem nequaquam una vice exhauriendum ad craſtinum uſque diem obſtruxi. Apparatu ſubſequentè die remoto eadem exiit dictæ materie quantitas; digiti ope perſcrutatus tunc fui cavitatem & in ejus fundo ſaccum quendam deprehendi, qui exteriora verſus compreſſus materiae exitum aliquantiſper adaugebat; hinc quum nulla naturalis vis expulſiva exitum promoveret, incifionem inſtitui, qua peracta materieque egreſſa peritonæum latere dextro perforatum & ſubſtantiam duram acuminato applanatam, in latere vero ſiniſtro corpus aliquod durum inæquale tuberoſitatibus obſeſſum deprehendi. Fomentationibus antiſepticis ejuſdem naturæ injectiones junxi cum remediis internis, quæ morbus indicabat; aſt omnia incaluſum: pulſus ſemper erat tenuis ac febrilis, ulceris inflammatio quotidie increſcebat, dolores, qui jam ſiluerant, atrociores redibant; exiens vero materies cadaverofum ſpirabat foetorem; diarrhœa colliquativa, quæ ſemper durabat, & gangræna tandem omnibus ægrotantis



miseriis finem imposuit exoptatum. Cadaver disse-  
candi mihi non data fuit potestas.

*EPICRISIS.*

Hepatis inflammationem plerumque in pericu-  
losum abscessum degenerare, Medicorum annales  
satis superque docent. Agnoscit illa pro sua causa  
vasorum hujus visceris obstructionem, quæ mox  
ab ipsis canalibus, mox a sanguine per eosdem tra-  
ducendo petenda est.

Sedem suam primariam ejusmodi inflammatio  
habet, partim in venæ portarum, partim in arte-  
riæ hepaticæ, partim quoque in illorum vasculorum  
finibus, quæ per hujus visceris involucrum & liga-  
menta excurrunt. Lenta & levis est illa, quæ in  
venæ portarum ramulis hæret, quum lentior per  
eandem sanguinis motus minime aptus esse videa-  
tur, ut magnos ardores excitet, minimæ quoque  
ejusdem ramificationes longissime a corde distent,  
simul & parum irritabiles sint, dum easdem pauci  
& exigui modo nervuli comitantur. Aliter res sese  
habet, si inflammatio in arteriæ hepaticæ aut in  
vasculorum ejusdem membranæ aut ligamentorum  
finibus hæret; hinc hæcce acutissima ab illa distin-  
guenda.



\* 5 \*

Quæcunque itaque vasa hujus visceris ita infarcire & obstruere valent, ut liber sanguinis transitus per eadem præpediatur, dictæ inflammationis causæ sunt. Pertinent huc spasmi, animi commotiones vehementiores, biliosa & acris colluvies ex intestinis resorpta, sanguis nimis spissus, lentus; calculi, vermes, unde bilis effluxus impeditur, ipsa bilis nimis viscida; & si in finibus arteriæ hepaticæ est, sanguis præprimis acris stimulans, hinc cachecticis frequentissima; materies quoque metastatice ad hocce viscus delata hujus inflammationis sæpe accusanda venit. Faciunt huc & causæ externæ, hepatis quippe contusiones 1), vulnerationes; diaphragmate quoque & ventriculo vulneratis, hepar sæpe eodem sidere trahi solet.

In lenta dicti visceris inflammatione dolor modo obtusus, gravativus sentitur cum duritie quadam in hypochondrio dextro, cutis plerumque colore icteritico suffusa conspicitur; alvus est adstricta viriumque in dies major jactura; quum in acuta durissimum & admodum tensum sit id hypochondrion, cum punctorio, fixo dolore & febre validissima; quippe dolor, si inflammatio hepatis involu-

---

1) LA MOTTE *Traité complet de Chirurgie*. T. I. Obf. 59.





crum & ligamenta tenet, ad claviculam usque dextram sese extendit, ita ut nonnunquam manus quoque dextra torpeat, adeoque pleuritidem mentiatur 2). Hæcce nunc hepatis inflammatio, si pertinacius curæ resistit, adeoque nullo modo resolvi valet, plerumque in abscessum abire solet. Mirum utique est & a capitis vulneribus abscessus sæpissime in hepate nasci, id quod a pluribus jam pridem observatum fuit. SPIGELIUS 3) annotavit, quod omnes, qui ex vulneribus capitis mortui sunt, conquesti fuerint ante obitum de dolore lienis, aut hepatis, atque in cadaveribus eorum semper reperit hepatis abscessum. Idne derivandum sit a metastasi puris, an a perturbata sanguinis circulatione per cerebrum & majorem influxum in cavam superiorem, unde resistantia oritur cavæ inferiori; aut a majori valorum cerebri resistantia, unde humores majori in copia inferiora versus diriguntur, hinc quoque impetuosius ad hepaticam arteriam ruunt? an potius ab obstaculo, quod venæ cavæ

2) Cf. CELSUS de Medicina L. II. C. 8.

3) De hepate. Cf. BALLONIUS de convuls. MARCHETTIS obs. chirurg. XV. BERTRANDI Mém. sur les absces du foie. Mém. de l'Academie de Chirurgie de Paris T. III. p. 484. ANDOUILLÉ ibidem p. 506. LÜBERKÜHN de abscessibus hepatis.



inferiori adeoque & ipsi hepato oritur? an vero a  
 sympathia nervorum? equidem decidere non aulin.  
 Diagnofis hujus morbi incerta, fi abfceffus  
 ipfam hujus vifceris fubftantiam occupat, adeoque  
 in ipfius interioribus fedem fuam figit 4) fubdole  
 etiam ut plurimum abfceffus fiunt in hepate teffe  
 BERTRANDI, qui pluries in cadaveribus vidit, in qui-  
 bus neutiquam fufpicabatur. Certiores demum eva-  
 dimus, fi abfceffus factus fuerit in convexa hepatis  
 fuperficie, fi hæc cum peritonæo concreta & pus  
 mufculos perforat, ita ut tumor extus appareat fimul  
 & fluctuatio percipiatur; aut licet id in hepatis fub-  
 ftantia hæreat; fi tamen ita foras vertatur, ut ipfam  
 hepatis tunicam occupare ficque facilem fe præbere  
 poffit ad exitum. Quodli a capitis vulneribus abfceffus  
 in hepate natus fuerit, vomitu & rejectione  
 bilis porraceæ cum tenfione & doloie hypochondrii  
 dextri dignofcitur. Exitus hujus fuppuracionis  
 varii & sæpe lethales fiunt; hinc & RÜVSCHIUS  
 5) fanationes hepatis abfceffuum licet non inauditas,  
 raras tamen pronunciat, fimul & exemplum

4) Quandoque Medicus decipitur, dum renis dextri apoftema hepatis abfceffum æmulatur; exemplum allegat SAUVAGES *Neçfol. method. T. II. p. 110.*

5) *Oper. omn. obf. 50.*



profert de suppuratione hepatis feliciter finita, ubi a prægressa inflammatione gibba hepatis pars con-  
nata fuerat peritonæo, ut itaque abscessu aperto  
puri denegatus fuerit in cavum abdominis decur-  
sus. Quodsi enim infelici fidere in hancce depluit  
cavitatem, omnia ibidem contenta viscera sensim  
sensimque corrumpuntur, ægrotansque tandem  
misera & lenta morte enecatur 6). Etiam licet foras  
promoveatur pus, abscessusque rumpatur, sic id  
magna in copia subito effluit 7), periculum est, do-  
cente SWIETENIO 8), ne subita mors sequatur;  
venæ enim portarum ramuli antea compressi, nunc  
liberi a sanguine impetuosis irruente rumpi facile  
poterunt, præcipue si a pure acriori tam diu ac-  
cumbente macerati fuerint & semiexesi. Quando-  
que, si pus sese colligit in parte hepatis superiore,  
ubi id diaphragma nudum tangit, huncce muscu-  
lum ut & pleuram perforat, atque in thoracis ca-  
vitatem effunditur, eodem modo, ac id post pleu-  
ritidem aut peripnevmoniam fieri solet 9). Pus quo-  
que

---

6) Cf. HALLER *Opusc. minora*. hist. III. p. 320.

7) 6 ad 8 libras puris in hepate collecti vidit LIEUTAUD *prax. med.* p. 91. & præcis. p. 4:6.

8) *Comment. in BOERHAVII Aphor.* §. 939.

9) Cf. PALFIN. *Anat. chirurg.* T. II. p. 141. MORGAGNIUS *de caus. & sed. morb.* Ep. XXXVI. A. 4.



que in hepate contentum per amplum foramen in  
 ventriculum irrupisse, animadvertit VOGELIUS 10),  
 RIOLANUS 11), aliique. Quandoque versus biliaria  
 emissaria ad duodenum erumpit, ut per eadem ad  
 alvum expurgari possit 12). Haud raro & pus in he-  
 pate collectum, si in viscere hocce diutius stagnat  
 ad humorum massam resorbetur, ut ita tandem  
 febre lenta pereundum fit ægroto; imo & absces-  
 sus calore hujus loci in ulcera mali moris abire so-  
 lent, quæque ulcerosa materies dein sensim non  
 modo totum hepar depascitur, sed & in humorum  
 massam resorpta eodem modo inevitabilem post se  
 trahit ægrotantis interitum.

Nunc quod ægrotantem nostrum attinet, illum  
 hepatis abscessu laborasse, nullum dubium est; vi-  
 detur illum jam per longius retro tempus ex in-  
 flammatione lenta sensim sensimque in ipsa hepatis  
 substantia nata, qua id peritoneum attingit, furre-  
 xisse, materiem purulentam non modo successive  
 resorptam fuisse, unde febris lenta hæctica, hinc-  
 que pulsus debilis, sed admodum febrilis, rubor

10) *Aët. N. C. T. V.* obs. 90.

11) Apud PALFIN. l. c.

12) BIANCHI *hist. hep.* T. I. p. III.



genarum, sudor faciei & colli cum diarrhœa colli-  
quativa, tandemque totius corporis summa macies,  
quæque dictæ febris vera sunt diagnostica signa, sed  
& ipsum abscessum tandem adeo degenerasse, ut  
in mali moris ulcus abierit, quæ ulcerosa materies  
tandem ipsum hepatis involucrum simul & perito-  
næum corrodit, musculosque ibidem impositos acri-  
monia sua inflammavit, unde tam acerrimi dolo-  
res, quam & totius illius regionis tumor, durities  
atque rubedo derivandi sunt.

Causa hujus mali externa derivanda mihi vide-  
tur a nimia hepatis pressione præprimis ad xyphoi-  
dem cartilagineam, quam viatores ex suo officio,  
dum ligna cultro in debitam scindunt figuram, quo-  
tidie fere experiuntur; causa vero interna prædis-  
ponens sanguinis præprimis venæ portarum nimia  
spissitudo & lentor, quibus conjunctis sensim ob-  
structio, dein inflammatio, tandemque mali moris  
abscessus surrexerunt, cujus vomica, quo profun-  
dius in ipsa hepatis substantia hæret, eo serius rum-  
pitur, adeoque successive ad summum tandem gra-  
dum augetur febris hectica. Indicia itaque hæc sub  
circumstantiis emollientia postulabant cataplasmata,  
partisque tandem lividus color metu subsequens  
gangrænæ fomentationes antisepticas. Foraminu-



lum tandem in medio conspiciendum, cavitatsque tumoris lata & profunda ope styli per id introducti detecta, ejusdem requirebat incisionem; qua peracta successive modo secundum artis regulas materiae purulento-ulcerosae & saniosae quantitas emissa fuit. In fundo cavitatis digito faccum deprehendi, quem quoque incidi, materiae ejusdem ac prioris indolis egressa, corpora quaedam admodum dura tactui sese offerebant, quaeque veros hepatis scirrhus fuisse duco, qui absque dubio alio tempore successive in hoc viscere nati fuerunt, quique scirrhi cum dicto apostemate complicati fuerunt. Hepar enim praeter omnibus reliquis abdominalibus visceribus scirrhis praecipuis obnoxium esse, omnes Medici docent 13). Praedisponit huc structura hujus visceris vasculosissima, simul & priva venae portarum indoles, quae quippe vasis arteriosi munere fungitur, adeoque infarctibus, obstructionibus & inde pullulantibus scirrhis hepar quam maxime obnoxium est.

Intentatos reliqui illos, apostema autem trepida licet manu curandum mihi summi, quum autem summum gangraenae periculum adesset, conti-

---

13) Cf. praeter alios LIEUTAUD L. c. p. 248.



nuavi fomentationes antisepticas, sed incassum, nec mirum; febre enim tabida jam penitus exhaustus fuit ægotans, dum opem meam postulabat, vires vitales quam maxime dejectæ & humores summe depravati. Pars affecta itaque corripiebatur putredine, unde foetor ille cadaverosus, sicque gangræna & sphacelus ægotantem tandem meliora fata expectantem e medio sustulit.

### OBSERVATIO.

Miles viginti circiter annos natus per aliquot retro dies in sinistra faciei parte tumorem persentiscebatur durum, cum haud levi doloris sensu; augebantur in dies & tumor & dolor & durities, ita ut, quum primum illum viderem, totam, quæ maxillam superiorem tegit, substantiam tumefactam & valde induratum absque tamen rubore deprehenderim; & licet dolores magnopere intenderentur, pulsus tamen naturalis erat. Causa hujus mali non in aperto erat, quippe ægotans nil sibi conscius erat, unde id derivari potuisset, neque ego ipse externam quandam admittere, aut in humorum depravatione eandem quærere poteram; hinc vitium locale subesse judicavi, nec eventus me fefellit. Inquisivi in dentes, nec ullam in ullo animad-



vertere potui labem; ferii dein unum post alterum bacillo chalybeato, quumque molarem maxillæ dolentis tertium afficeret bacillus, de dolorum augmento conquerebatur ægrotans; neque in hoc dente, omni licet attentione examinato morbofi quid detegere valui. Radicem itaque ejus affectam suspicabar, hinc, ut evellatur dens, curavi; eo autem eradicato, ad minimum una cum dimidia uncia puris effluxit dentisque radix cariota apparuit. Qua operatione peracta symptomatum vehementia illico diminuta fuit, tumorque, durities ac dolor mox omnino evanuerunt, ita, ut paucis elapsis diebus hicce miles pristinam recuperaverit sanitatem.

*EPICRISIS.*

Sinus maxillaris, antrum quoque HIGMORI dictus, magna cavitas est, quæ maxillæ superiori insculpta ab illius alveolari arcu incipit, rimamque sphæno-maxillarem versus ascendit, altero latere naribus & altero zygomatico offi contiguus 1), ab externo & postico latere plurimum turget. Tenuis

---

1) Hosce sinus in foetu nondum formatos esse, PALFIN: *anat. chirurg.* T. I. p. 85. Recte autem ZIERVOGEL: *Diff. de narib. intern.* & HALLER *elem. physiol.* T. V. L. XIV. §. 1. monent, hosce sinus jam in foetu adesse.



admodum sunt hujus sinus parietes, solidiores ad alveolarem arcum & ad marginem illum semilunarem, qui nares externos constituere juvat. Investitus est membrana sic dicta SCHNEIDERIANA, tanquam vera epidermidis simul & cutis continuatione, quæ autem hic non adeo crassa & pulpofa est, uti illa in cavo narium prope septum conspicitur. Sensilissima illa est & innumeris vasculis instructa, ex quorum arteriosis finibus subtilis, mucosa materies exsudat, quæ mora & stagnatione spissitudinem quandam induit, atque per unum quandoque & plura orificia, ipso fundo hujus sinus multo elatiora inter os spongiosum medium & inferius retro nasalem ductum reperiunda in narium cavitatem effunditur. Dentium radices in hujus ossis alveolis hærentes, haud raro per parva foraminula ad hujus sinus cavum penetrant, quandoque & adeo magna illa sunt, ut & specillum mediocre immitti possit 2). Id quidem foramen, quod post evulsionem molaris dentis in sinum hians conspicitur non semper naturale est, dum quandoque hacce operatione septum illud diffringitur.

---

2) Cf. BERTIN. *Ostcol.* T. II. p. 165. WINSLOW. *expos. anat.* T. I. N. 372.



Huncce finum nunc variis morbis, & iisdem quidem ac reliqua ossa & vasculosa membranæ ea cingentes, farcomatibus quippe, fungis, scirrhis, carie, exostosi, inflammatione & suppuratione corripri posse, ipsa ratio docet. Est præcipue morbus, ozæna maxillaris dictus, qui quandoque in dicto sinu observatus fuit ab Autoribus. Veteres quippe in genere omne narium ulcus, quod pessime olet, quodque cum ossis corruptione conjunctum est, ozænam vocaverunt. Rarum esse, in sinu maxillari ulcera nasci contendunt GORTERUS 3) & GÜNZIUS 4); quum membrana hunc sinum investiens tenuis admodum sit & retinendis humidis parum apta, materies porro mucosa ibidem secreta vix tenuioris gelatinæ consistentiam habeat, os quoque ipsum, quod hunc sinum constituit, compactum & firmum sit, adeoque humida corrupta in ipso hærentia non adeo facile id erodere possint, uti id sæpius fit in ipsis narium spongiosis ossibus. Ast hæc omnia plane non obstare videntur, quin ex suis causis & hic obstructions, inflammationes, suppurationes & caries oriri queant; hæcce quippe

3) *Chirurg. repurgat.* §. 892.

4) *Progt. de Ozæna maxillari & dentium ulcere.*



membrana subtilior & tenuior licet, innumeris tamen vasculis picta, quorum arteriolæ tam a maxillari interna, quam ab aliis huic finui propioribus proveniunt; sensu quoque exquisito illa prædita est, quum plurimi nervuli a quinto pari proficiscentes in illa sese distribuunt; os quoque licet compactum & solidum ab humidis tamen acrioribus æque ac reliqua ossa corrodi posse, observationes docent; quæ licet paucæ modo ab Autoribus annotatæ reperiantur 5), forsan tamen multo frequentior est hicce morbus, quam vulgo creditur, quum ob cavitatem hujus finus profundam, oculis non patentem sæpius non cognoscatur.

Dictæ hujus maxillaris ozænæ causæ variæ esse possunt. Sanguis spissus, acris, scorbuticus, venereus, ad hujus finus vascula delatus, ibidem stagnando partim, partim sua acrimonia sensilem hujus finus tunicam irritando, corrodendo, inflammationes, suppurationes, imo & pessimi moris ulcera excitare valebit. Venereum præprimis atque scorbuticum miasma ossibus non modo, eadem carie

---

5) Quas HIGMORUS *corp. hum. disquis. anat.* L. III. P. II. p. 226. OSTERLING *diff. de olfactu*, PLATNER *Progr.* allegant, demonstrant modo verum mucum per dentis evulsionem effluisse.



rie exedendo 6) admodum inimicum, sed & ad minutissima usque vascula penetrando, eadem vellicando, spasmodice constringendo & ita inflammando huic morbo ansam præbebit. Humor non minus quicumque heterogeneus, acris vel extus in humorum massa productus, uti ad varias corporis partes, ita & ad huncce sinum metastatice deponi & hujus morbi causa evadere potuit. Faciunt huc & hujus partis contusiones & vulnera, unde ob vasorum simul & nervorum communicationes, & in ipso sinu sanguinis stases & inflammationes surgere solent. Et a cariosis dentibus hoc malum sæpius oriri Cl. Iovis 7) monet. Hæc quippe dentium caries, si neglecta fuerit, tumores sæpius & abscessus excitat, quorum purulenta materies haud raro intra gingivas atque maxillarum ossa sese insinuat, ulteriusque serpit, ita ut fistulæ surgant cum carie complicatæ, quæ uti sensim sensimque inferiorem maxillam penitus fere consumunt 8), ita & quandoque ad sinus usque maxillares penetrant. Imo & a solo carioso maxillari præprimis dente nul-

6) FAUCHARD. *chirurg. dentiste* P. I. C. XXI. & sqq.

7) *Mém. de l'Acad. de chirurg.* T. IV. p. 376.

8) FAUCHARD L. c. P. I. C. XXXII. obs. X.



la cum fistula complicato, si caries præprimis illius radices tenet, hoc malum & ipsi maxillari finui communicatur, ut eodem fidere trahatur, vel & ipsa ejus tunica ab ichorosa dentis materie ita corroditur, ut in inflammationem & suppurationem abeat 9). Idque eo certius simul & citius eveniet, si dentis istiusmodi cariosi radiculae ad hujus sinus cavum usque penetrant, quæque foraminula quandoque adeo magna sunt, ut stilum mediocre admittant.

Hujus ozænæ symptomata pro variis illius stadiis & pro varia simul indole quoque varia sunt. Si idiopathica est ozæna, adeoque ab inflammatione intra tunicam hujus sinus orta, dolores non modo cum sat valida febre quandoque intra ipsum finum, sed & ob notam vasorum & nervorum conjunctionem in circumjacentibus partibus percipiuntur haud raro atrocissimi, perdurantes, ita ut partis adfectæ tota regio ad orbitam usque doleat & tumeat, imo & ejusdem lateris oculus & ipsum cerebri hæmisphærium eodem fidere trahatur. Si sympathice a carioso dente surrexerit ozæna, præter dicta diagnostica signa & ipse ille dens haud ra-

---

9) Idem L. c. P. I. C. XXXIV. obs. VIII.



ro vehementer dolet, imo & licet extus nulla animadvertatur caries, chirurgus tamen rei suæ bene gnarus intus latitantem cariem quandoque jure suspicatur, illumque dentem, quem sic affectum credit, specillo feriendo, si vehementiores surgant dolores, detegit.

A fistula intra gingivas latitante, gingiva admodum tumida conspicitur; dolent & tument nares, materies simul emuncta, aut sponte in declivi sinus situ effluens foetidissimum odorem spargit.

Hiscæ nunc sub circumstantiis arte succurrendum est ægrotanti. Optima medendi methodus est illa, quam COWPER. 10) nobis descripsit. MEIBOMIUS 11) quidem longe ante COWPERUM illam jam proposuit, ast de fundo alveoli dentis evulsi nihil adjicit, forsân, uti GUNZIUS 12) monet, quia, quoties hoc malum ipsi occurrit, os fundum constituens jam erosum erat. Purulenta, saniosa, aut ulcerosa materies evocanda est, quum illa per naturale hujus sinus ostium ex dictis causis haud commode effluere queat. JOURDAIN 13) quidem injectio-

10) Apud DRACKE *anthropol. nov.* L. III. C. X.

11) *Discurs. de abscess. intern.* p. 114.

12) *Program. citat.*

13) Apud celeb. BORDENAVE *Mém. de l'Acad. de chir.* T. IV. p. 357.



nibus per illud siphonis ope factis hujus finus membranam depurari simul & peccantem materiem educi posse persuasum habuit; quæque methodus quoque quandoque votis respondere potest, si malum solum dictam membranam occupat; quodsi autem ipsum os cariosum simul est, illa non sufficit. Præstat itaque arte viam parare, quo materiæ non modo concilietur exitus, & ipsa convenientia medicamenta immitti, sed & quo omnia, quæ corrupta sunt simul auferri possint. Idque commode fit dentis evulsionem. Quodsi dentium hic hærentium unus carie affectus, adeoque suspicari licet, hanc morbi causam primariam esse, is evellendus. Si autem omnes sani & integri, non dens caninus, quippe qui raro ad maxillarem sinum dirigitur, neque quod COWPERUS suavit, primus dens molaris, qui quoque aliquando a sinu distat, sed potius tertius, præcipiente BORDENAVE 14) extrahendus est, quia sinus ibidem maxime declivis & septum osseum tenuissimum est. Si post dentis evulsionem nulla adest apertura, illa arte, tricuspидis ope, paranda & quidem satis ampla. Reliqua dein secundum artis regulas peragenda. Si malo curato dicta apertura se-

---

14) L. C. P. 332.



se non claudit, suadet GUNZIUS 15) machinulam ex ebore, argento aut auro paratam, cui spongiola affixa; accommodatur illa ita alveolo, ut spongiola aperturam sinus implendo inhærere machinulam faciat, mucique effluxum impediât.

Hanc nunc dictam methodum in tractatione mei ægrotantis optimo quoque cum successu secutus fui. Ozæna hæcce maxillaris absque dubio a cariota dentis radice, quæ fat amplo foramine ad sinus cavum hiabat, derivanda erat; depluebat quippe huc materies cariota, acris, putrida, illiusque membrana inde quam maxime irritata, inflammata, hancce purulentam materiem tandem copiose fudit; effluxit illa dente evulso omnis libere, ita ut paucis elapsis diebus ægrotans integræ restitutus fuerit sanitati.

### OBSERVATIO.

Ad virginem 24<sup>tum</sup>. circiter annum agentem, temperamenti sanguinei, per spatium trium retro hebdomadum dysenteria epidemice in Geldriæ provincia grassante laborantem accersitus fui. Priusquam hocce morbo corripere, periodicam sanguinis excretionem paulisper modo, dein jam per

15) Progr. citat.



duo stadia penitus suppressam experta est. Symptomata morbi & quidem eo ipso tempore, quo sanguis menstruus effluere alias solebat, sequentia fuere; lectum tenebat ægrota, de magna cephalalgia & cardialgia conquerebatur, quasque nausæ, vomitus, ciborum præprimis carniùm fastidium & maximæ anxietates, comitabantur; abdomen erat turgidum, alvus clausa, urina retenta, totius corporis, præcipue extremitatum summa lassitudo; pulsus parvus, non febrilis erat. Ab initio statim enemata, eccoprotica, crurum frictiones, potus diluentes, simul & tartarum emeticum in refracta dosi resolvendi scopo præscripti, sed absque sperato eventu. Altero die ter alvum deposuit, anxietatibus aliquantulum diminutis, reliqua autem symptomata perdurabant. Tertio ac quarto die dolores abdominis intensiores reddebantur, & ægrota ex una lipothymia nondum refocillata in alteram incidit; atrocissimos dolores anodynis medicamentis sopire tentavi. Quinto & sexto die symptomata mitiora apparuere & quotidie alvum deposuit liquidam, licet parcam. Die autem octavo omnia iterum recrudescabant mala, ita ut ad duodecimum usque diem symptomata sensim alternaverint. Depositiones alvinæ tunc temporis non nisi altero die fiebant, &



illis ovium similes erant. Die 13<sup>tio</sup>. varia vermium symptomata apparuere; animadverterunt quippe adstantes, quod ægrota sæpius scalpserit triveritque nares, quod stomacho dormiens plerumque incubuerit, quodque semper cœruleus circulus oculos ambiret. Hisce symptomatibus de vermium præsentia persuasus, anthelmintica statim remedia in usum vocavi, nec sinistro eventu; prima enim nocte tres ascarides per alvum deposuit unumque vomitu rejecit, die vero sequente, propinato mercurii vivi decocto cum vitriolo martis, septem iterum suum hospitium reliquerunt; quo facto ægrota, viribus licet fere penitus exhaustis, cessantibus tamen omnibus dictis symptomatibus, vicissitudines naturales mox fuit experta, & octiduo elapso perbene valuit.

### EPICRISIS.

Omnia hic recensita symptomata tam a mensium suppressione quam a vermibus in primis viis hospitantibus derivanda esse, quivis facile videt. Priusquam hæcce fœmina dysenteria corriperetur, menses parce modo fluxere, dein autem per duo stadia penitus fuere suppressi. Hujus suppressionis variae omnino causæ esse possunt; abunde illæ le-



guntur in Practicorum libris, ut itaque prolixiori hoc labore supersedere possim. In id autem inquirendum, quænam hujus suppressionis causa fuerit, in nostra ægrota. Vermibus fuit adfecta cum dysenteria complicatis; quippe vermes veræ hujus mali causæ fuisse videntur. Agunt quippe vermes irritando, vellicando sensilem primarum viarum canalem; unde fieri debet, ut humores non modo majori in copia huc versus determinantur, adeoque ab utero avertantur, sed & ut varia hinc inde viscera, hinc & ipse uterus ita spasmodicè corripiatur, ut salutaris hic catameniorum fluxus vel admodum difficulter procedat, vel penitus supprimatur. Symbolam suam absque dubio huc contulit imo & ipsum malum adauxit dysentericus morbus, a subtili miasmate contagioso in aëre tunc temporis circumvolitante subortus, hancce ob causam epidemice grassatus. Id quippe, quod in hocce morbo a naturali statu recedit, est nimis, imo ad summum quandoque aductus intestinorum motus vermicularis, unde eodem modo, ac de vermibus dictum est, sanguis ex aorta ad mesaraicas arterias magis allicitur, ut nunc consueta in copia ad uterina vasa deferri nequeat; hinc evenire debet, ut ille sanguis, qui in hisce jam sensim sese accumulavit, dum a sanguine



a tergo, minori quippe solito copia adveniente non sufficienter ad lateralia vascula in uteri cavum hiantia urgeatur, adeoque intra eadem subsistat. Eodem, ni fallor, modo, & illa mensium subita suppressio ab *ILL. STOERKIO* 1), annotata, quæ violentissimum vomitum instante hoc fluxu sequebatur, orta fuisse videtur. Imo & sublato licet hoc morbo, dicto canali tamen nimium inde infirmato, affluxus humorum huc fortior fiet; hinc toties hæcce suppressio observatur, si viscus quoddam nimis debilitatum est.

Conquerebatur ægrota de vehementi cephalalgia & cardialgia, nec mirum; denegato enim dicto salutari fluxu, nimio sanguine onerantur vasa, adeoque & illa cerebri; difficilis fit per hæcce sanguinis trajectory, dumque nimium inde distenduntur, irritantur, dolores surgunt; hinc & *CELSUS* jam annotavit 2): „ Quibus menstrua non proveniunt, iis „ acerbissimi capitis dolores adsunt, vel quælibet „ alia pars infestatur ” Quantum porro, ut ita dicam, imperium habeat uterus in reliqua corporis viscera, observatorum monumenta fatis superque

1) *Obs. circa morb. acut. & chron.*

2) *De medicina* L. II. C. 7.



docent. Hocce quippe imperium a visceris hujus nervis copiosissimis, horumque cum reliquis omnium viscerum manifesto consensu. Vasis quippe uterinis suo sanguine nimium distentis, distenduntur inde non modo & nervi per eorundem tunicas decurrentes, sed & vicini comprimuntur, irritantur, ut varia iterum symptomata a spasmis hinc inde in corpore savientibus derivanda surgere debeant. Cardialgia quippe ob peculiarem nervorum, uterum inter & ventriculum anastomofin, quo illo male affecto & hic in simile consortium rapitur; dolet hinc haud raro acerbissime sinistrum ejusdem orificium, multis quippe nervis instructum. Læditur pessime digestio; dum enim dictis spasmis omnes se & excretionēs, omnes in corpore functiones perturbentur, perturbabitur omnino & digestionis atque chylicationis negotium: ingesta enim dum diutius hic commorantur, corrumpuntur, nascuntur inde variæ cruditates, unde nausea, ructus, ciborum fastidium in nostra ægrota derivanda; carniū præprimis fastidium aderat, absque dubio a saburra rancida, subalcalina, qua ipsa hominis natura automatico motu excitata, ne rancidus, putridus fomes majus adhuc incrementum capiat, carnes justo abhorret. Alvus clausa erat & abdomen



admodum turgidum ; ingestis enim in ventriculo haud probe concoctis , oleosis , alcaliscentibus , acescentibus , sinceris nostris chylopoieticis humoribus haud bene permixtis , subactis , in spontaneam non modo abeunt degenerationem , sed & aër antea fixus , nunc extricatus , elasticus , calore loci rarefactus , in intestinorum canali hinc inde aberrans , borborygmus excitat illumque nimia in copia collectus ultra modum distendit , ita ut sensim labefactatus in contenta non amplius rite reagere eademque ulterius propellere possit , quae diutius hicce locorum stagnantia , tenuiori fluido resorpto exsucca tandem evadent ; unde alvustarda . Quodsi autem per longius temporis spatium ibidem hospitentur , accerrima tandem fiunt , intestina stimulant , atque diarrhoies fluxu eliminantur . Ab utroque causa abdominis quoque dolores sunt derivandi . Urina erat retenta ; dum renes non modo , sed & lotii receptaculum a spasms quam maxime perturbari soleant , ut vel renibus spastice affectis urinæ secretio præpediatur , vel vesicæ sphincter adeo constringatur , ut vera surgat ischuria . Præcordiorum anxietates a nimio sanguine in suo per vitalia organa trajectu multum impedito deduco . Lipothymis corripiebatur frequentissimis ægrotæ de-



summa totius corporis lassitudine conquerens; turbato enim, uti dictum ventriculo, & motus cordis turbabitur; sensim sensimque quumque totum nervorum systema, dum nimium exagitur, debilitatur, eodemque debilitato & humorum circuitus omnesque ab hoc in toto corpore pendentibus functiones languent; hinc pulsus quoque parvus erat, debilis nec febrilis.

Hæc nunc dicta symptomata, quum nullum adhucdum alium latentem hostem suspicari liceret, a sola mensium suppressione suborta fuisse, persuasus eram; hinc quo sanguinem iterum ad consuetas suas vias revocem, quum causam suppressionis in humorum spissitudine quærerem, attenuantia simul & resolventia medicamenta, & quo sanguis majori in copia quoque ad uteri vasa determinetur, crurum frictiones & enemata præscripsi, dolores autem a spasmodicis oriundos antispasmodicis debellare studui, ast omnia incassum, latebat enim vermium in herba. Vermium symptomata sese manifestabant. Ægrotæ quippe nares sæpius scalpsit, trivique cæruleusque circulus oculos ambibat. Hæc autem revera vermium suspicionem injicere, tam ratio quam observata docent. Adest quippe inter nares & ventriculum non membranarum modo,



fed & nervorum adeo manifestus confensus, ut hoc irritato & necessario irritari quoque debeat interna narium membrana SCHNEIDERIANA; hoc quippe phenomenon toties in infantibus non modo sed & in adultis observatur. Illud autem symptoma quoque, lividum oculorum circulum vermium praesentiam haud raro demonstrare ex nervorum quoque consensu ingeniose probavit VAN DOEVEREN 3).

Vermibus autem laborasse nostram ægotam, non mirabitur, qui perpendit, casei atque piscium esum in Belgio admodum familiarem esse, quibus cibis quippe ovula non modo, sed & ipsi vermes quandoque magna in copia ad ventriculum devolvuntur, sique hic aut & in intestinis causa quædam prædisponens, materies præprimis mucosa abundanter hæret, si calor loci ipsis conveniens est, excluduntur, conservantur, crescunt, & dein mole non modo, sed & esu, morfu, reptatu, vellicatione innumera mala excitant. Non modo autem in primis viis sed & in aliis corporis locis vermes repertos fuisse, gravissimi Autores testantur 4).

3) *De vermib. intestin.* p. 65. cf. BUDDEUS *diff. de tania.*

4) Cf. præter alios RÜYSCH *obs. anat. chirurg.* n. 64. p. 60. DU VERNEY *Acad. d. sc. l'ann. 1700.* BAGLIV. *oper. omn.* p. 699.



In prioribus dicta symptomata vermibus ad-  
 aucta fuisse nemo non videt; inde enim dolor in-  
 testinorum, abdominis tumor, appetitus modo pro-  
 stratus, modo immanis, alvus modo stricta, mo-  
 do laxa, nausæ, vomitus, animi deliquia, pul-  
 sus debiles, deficientes, intermittentes, imo &  
 insultus epileptici observati fuerunt ab Auctoribus;  
 idque non ex ipsa partium læsione sola, verum  
 etiam, quatenus inde aliæ partes diffusæ in suis fun-  
 ctionibus turbari possunt, derivandum est.

De vermium itaque præsentia convictus, an-  
 thelmintica statim in usum vocavi medicamina &  
 egregio quidem cum successu; vermes fuere expul-  
 si, evanuerunt omnia symptomata, sanguis men-  
 struus periodice iterum & sufficienti in quantitate  
 in uteri cavum depluebat, & ita huic fœminæ con-  
 venienti diætâ eupepta simul & medicamentis pri-  
 stinum iterum conciliabatur corporis robur.

#### OBSERVATIO.

Fœmina 40. circiter annorum prosperæ vale-  
 tudinis, plurium jam liberorum mater, gravida  
 iterum legitimo tempore peperit infantem vivum.  
 Lochia fluxere quidem, sed parcius solito, tertio-  
 que die iterum plane cessavere. Mox cephalalgiam,



vomituritiones, lumborum dolores experta fuit, appetitus prorsus erat prostratus. Lac interim in mammis secretum infanti præbuit. Varia hæcce fœmina in usum traxerat medicamina, a variis mulierculis laudata, quo uterinum sanguinem advocaret, sed incassum. Tertia a puerperio septimana auxilium a me petiit; quumque illam prima vice viderem, sequentia observavi symptomata; ægrota validis torquebatur torminibus, de gravitate in abdomine conquerens, febre continua remittente laborabat. Præter resolventia, quæ morbus postulare mihi videbatur, potus diluentes, attenuantes ex radicibus graminis, taraxaci, lapathi acuti, liquiritiæ cum saccharo lactis præscripti; enemata iteratis vicibus adhibenda curavi; quumque primas vias valde oneratas materiemque resolutam suspicarer, eccoprotica exhibui; quibus assumtis fœtidissimis sedibus liberata fuit ægra; quum autem tam remediis assumptis, quam paroxysmis febrilibus vires quam maxime exhaustæ viderentur, corticem Peruvianum in usum traxi. Loco decocti supra descripti mox infusum florum arnicæ, mox ferum lactis forbere iussi. Hæcce omnia cum balneis quoque & embrocationibus ex emollientium genere per spatium quinque mensium incassum fuere



adhibita; morbus potius incrementa cepit, tormina ingravescebant, gravitasque vaga in hypochondrio dextro ægotam magis magisque vexabant. Loco dolenti examinato nihil inveni, quod a naturali statu recederet; nullus aderat tumor, color integumentorum non alteratus, nec ullam duritiem sentire poteram. Paulopost in lateris dextri regione iliaca dolorem sensit, qui fixus manebat. Locus autem dolens non tumebat, coloreque naturali gaudebat, nec ullam detegere potui fluctuationem; attamen admoto digito enormiter crescebat afflictio. Elapsis quibusdam diebus in loco dolente sponte facta sese manifestabat apertura, ex qua immensa ichoris sanguinisque corrupti foetidissimi quantitas brevi tempore emanabat. Hanc a natura factam exonerationem lipothymia excipiebat. Ægrotata fuit refocillata, & paulo post vulnus artificialiter secundum arcus iliaci directionem dilatatum, sicque ejusdem naturæ materiei tres libræ effluerunt. Hisce peractis, ut artis est, ægram tractavi. Ulcere tandem plane depurato, labia ejusdem callosa scarificata, futuraque sicca unita concreverunt, ita ut ægrotata tandem cum pristina sanitate rediret in gratiam.

*EPICRISIS.*



DIE EPICRISIS.

Hæcce observatio docet, quanta mala a lochiorum suppressione metuenda sint; hinc & recte jam monuit HIPPOCRATES 1), "nisi a lochiis mulier repurgetur, & magno morbo corripitur, vitæque periculum incurret, nisi cito curetur, & aliquis convenientem ipsi purgationem promoveat". Salutaris quippe est sanguinis post partum editum ex uterinis vasculis effluxus, in quibus durante graviditate ad foetum alendum maxima in copia congestus fuit. Foetu itaque in lucem edito, simul & placenta soluta & extracta, vasculis satis amplis foraminibus hiantibus, sanguis sub lochiorum nomine effluere solet. Uterus autem dum successive sese contrahit, successive quoque a nimia sanguinis quantitate liberatur, dumque tandem in pristinum suum volumen redigitur, ita contractis minimis vasculis, ut nullum amplius sanguinem recipere possint, sed tenuiores modo serosos humores diluitori lacti similes fundant, quales in naturali statu jam in infantibus in uteri cavum stillare novimus 2),

---

1) *Coac. pranot. n. 528.*

2) Hos itaque tenuiores humores subalbidos neque a suppuratione neque a lacte derivandos esse censeo.



hicce quoque lochiorum effluxus nunc cessat. Difficile quidem dictu est, quanta sanguinis quantitas consueto hocce fluxu eliminari, & quam diu is perdurari debeat, quum id pro vario puerperæ temperamento, vitæ genere, ætate, venæsecionibus durante graviditate institutis quoque variet. Tunc demum hunc fluxum rite procedere censebit Medicus, si puerperium consueta sua stadia legitime absolvit, nullaque plane incommoda ab hoc fluxu derivanda animadvertuntur. Nostra puerpera in præcedentibus puerperiis fluxum hunc quique per plures dies perdurabat largissime semper experta fuit, nunc autem is parcius solito fluebat, tertioque die plane suppressus fuit.

Impedito hoc effluxu sanguis vel intra uterina vasa, vel in visceris hujus cavo in grumos collectus stagnabit, adeoque vel vasorum uterinorum vel & orificii uterini nimia constrictio quandoque & illius coalitus accusanda veniunt 3). In vasis uterinis spastice constrictis in nostra puerpera causam hujus mali quæsi, quum uteri orificium adaper- tum fuerit; quumque ab adstantibus compererim, parturientem, dum placenta extraheretur, multa

3) Cf. LIEUTAUD *hist. anat. med.* P. I. obs. 428.



perpeſſam fuiſſe, hancce vaſorum uterinorum præ-  
cocem conſtrictionem a rudiori manus tractatione  
derivandam eſſe cenſeo.

Symptomata, quæ hic obſervabantur, cepha-  
lalgia quippe, vœmituritiones, lumborum dolores,  
appetitus proſtratus, valida tormina, abdominis  
gravitas, febris continua remittens, a plethora  
partim, partim a nervorum communicatione de-  
ducenda ſunt. Humoribus etenim intra uterina vaſa  
majori in copia ſtagnantibus, adeoque ſolitas vias  
non legentibus, eadem omnino mala quæ antea de  
menſium ſuppreſſione commemoravimus, ſurgere  
debent. Utero enim nimis diſtento, diſtenditur  
non modo abdomen, ſed & dolebit, dolebunt & lum-  
bi, veſica quoque & rectum inteſtinum eodem  
fidere trahentur, compreſſa quippe & irritata ſpa-  
ſtice ſeſe conſtringendo tum lotii, tum ſæcum eli-  
minationem præpediunt, flatus quoque gignuntur  
in inteſtiniſ unde tormina. Humores majori in co-  
pia ſuperiora verſus ruentes, naſeas, vomitus,  
cephalalgias excitabunt; quæque dicta ſymptomata  
ſympathia nervorum adhuc magis adaugentur 4).

Febris continua remittens a ſanguine non modo

4) Cf. ASTRUC. *des malad. des femmes* T. IV. p. 76. HALLER.  
*elem. phyſ.* T. VII. P. II. p. 135.



dintius intra uteri vascula stagnante sensim corrupto, ad reliquam humorum massam delato & a corde irritato derivanda.

Hiscæ subcircumstantiis itaque remedia præscripti, quæ hic status morbosus indicare videbatur, attenuantia quippe, resolventia, balnea simul & embrocationes emollientes, eccoprotica, viresque deficientes Peruviano cortice revocare studui, sed omnia ingravescebant symptomata. Natura quippe metastasin moliebatur, via naturali ita præclusa, ut per hanc eliminatio fieri non posset. Has metastases mox salutares, mox periculosas, mox quoque funestas esse gravissimi Auctores monent. Salutares quidem per diarrhœam, sudorem, urinam fieri solent 5); periculosissimæ autem & funestæ plerumque illæ sunt, quæ ad organa nobiliora fiunt; inde enim purulentiam pulmonum, ipsam pulmonum substantiam pure exesam, peritonæi hydropem, pleuritidem, phrenitidem aliosque gravissimos morbos observarunt Auctores 6). RUYSCHIUS 7) ab effuso in cavum abdominis sanguine lethalem vidit hancce metastasin.

---

5) Cf. BAGLIV. *prax. med.* L. I. p. 110. HOFFMANN. L. c. T. II. p. 162.  
 6) Cf. LIEUTAUD L. c. P. I. obs. 160. 1731. P. II. obs. 178.  
 7) *Obs. anat. chirurg.* n. 84. p. 79.





Res felicius successit in nostra ægrota. Naturam tandem metastasin moliri dolor ad regionem iliacam dextram fixus indicabat, quippe admoto digito enormiter crescebat, licet exterius nullus tumor, neque integumentorum alteratio quædam subtus materiem quandam heterogeneam delitescentem proderet. Sponte tandem facta apertura, ex qua immensa ichoris sanguinisque corrupti quantitas effluebat, quid nunc tentandum quidque expectandum, fatis superque me edocebat. Sanguinis hujus ex minimis vasculis effusi congestio facta fuerat sine dubio intra peritonæum & abdominales musculos prope arcum iliacum dextrum. Sensim sensimque ibidem depositus, corruptus, ut itaque nulla bonæ indolis suppuratio locum haberet, felici fidere exteriora versus dictam regionem ita perforavit, ut nunc de corpore exire potuerit. Tales metastases quandoque ab artificiosa natura in ægroantium salutem tentari medicorum annales docent. Liceat hic LA MOTTE observationem 8) nostræ quippe fatis analogam allegare. „Fœmina post lochiorum suppressionem jam per novem menses lecto adfixa fuerat, incurvato miserrime corpore jacere coacta, facie enim genibus admota, calcaneis

---

8) *Traité complet de chirurg.* T. I. p. 280.



autem nates versus reflexis noctes diesque in eodem permanebat situ. Cumque dolor inprimis hypogastrium media inter umbilicum & pubem altitudine occuparet, omni cura hunc locum examinavit, atque aliquam undulationem percepit, licet nulla durities aut tumor adessent, neque integumentorum color ullo modo mutatus esset. Profundum hic latere abscessum, aperturam itaque in hoc loco faciendam esse statuit, illamque maxima cum cautela perfecit, donec in cavum abdominis penetrasset. Nihil tamen puris exivit per aperturam factam. Sequenti vero die, cum apparatus mutaret, ingentem puris copiam exire vidit lætus, licet non intelligeret, ubi id latuisset”.

Dictam a natura factam aperturam, quam scalpelli ope dilataverim, magna adhuc ejusdem materiae quantitas effluxit, sicque peractis, quæ artis sunt, ab omnibus dictis symptomatibus liberata puerpera adhuc usque diem, quantum quidem novi, perfecta fruitur sanitate.





ULB Halle

008 565 791

3









Q. D. B. V.

DISSERTATIO

5

INAUGURALIS MEDICO - CHIRURGICA

SISTENS

OBSERVATIONES

NONNULLAS

CUM EA

SUMMI N

CONSENSU M

IN UNIV

PRO

GRADUM M

RI

DIE IX. MAI

SOLEMNI ERUI

PHILIPPUS F

AL

LEGIONIS BADENSIS

CHI

ARGENTO.

